

The *Chrysostomus Latinus in Mattheum* Online (CLIMO) Project
(<https://climo-project.wlu.ca>)

Omelia XXV. in Mattheum Iohannis Chrysostomi interprete Burgundio
(BAV MS Vat. lat. 383, ff.94va-96vb)

Et factum est quando finiuit ihesus sermones hos, obstupebant turbae in doctrina eius.

Commented [ND1]: [fol.94va]

Et nempe consequens erat dolere eos ad onerositatem eorum quae dicta sunt, et torpere ad altitudinem eorum quae iniuncta erant. Nunc autem tanta uirtus docentis erat, ut multos eorum et caperet, et in ammirationem maximam immitteret, et suaderet propter uoluptatem eorum quae dicta erant, neque a quiescente dicere, desistere iam. Neque enim quia ex monte descendit, destiterunt auditores. Sed et ita theatrum uniuersum secutum est, tantam imposuit eis, eorum quae dicta sunt cupiditatem. Obstupebant autem eius maxime potestatem. Non enim ad alium referens ut propheta, et moyses, dixit quae dixit, sed ubique ostendens se esse eum qui habet dominium. Etenim legem ferens continue apponebat. Ego autem dico uobis, et diei rememorans illius, seipsum demonstrabat discernentem esse, et per penas, et per honores quamuis et hinc tumultum pati decens erat. Si enim per opera uidentes ostendentem eum potestatem lapidabant scribae, et abigebant, ubi uerba solum erant hoc manifestantia, qualiter non decens erat eos scandalizari? et maxime quoniam in proemiis haec dicebantur, et antequam experientiam dedisset ipse sui ipsius uirtutis. Sed tamen nichil horum passi sunt. Cum enim anima et mens beneuolens fuerit, facile persuadetur a ueritatis sermonibus. Propter hoc utique illi quidem et signis preconio extollentibus eius uirtutem scandalizabantur. Hii autem uerba nuda audientes, persuadebantur et sequebantur. Hoc itaque et euangelista enigmatice insinuans dixit, quoniam secutae sunt eum turbae multae, non principum quidam neque scribarum, sed quicumque a malitia erant eruti, et consilium habebant inflexibile. Per totum autem hoc euangelium, uidetis ei hos affixos. Etenim cum diceret, cum silentio audiebant, nichil secus immittentes, neque incidentes consequentiam, neque temptantes, et captionem cupientes inuenire, quemadmodum pharisei. Sed post contionem, sequebantur rursus ammirantes. Tu autem michi intende dominatoris prudentiam, qualiter uariat utilitatem presentium. A miraculis ad sermones transiens, et rursus a sermonum doctrina, ad miracula transmigrans. Etenim antequam ascenderet in montem, multos curauit, uiam antea faciens his quae dicebantur, et postquam longam hanc compleuit contionem, rursus ad miracula uenit. Certificans ex his quae fiebant, ea quae dicta erant. Quia enim quasi potestatem habens docebat, ut non extimaretur ostentatio esse, et contumacia hic doctrinae modus, et in operibus hoc idem facit, quasi potestatem habens curare, ut non ultra tumultuentur uidentes eum ita docentem, quando et miracula ita faciebat. Descendenti enim ei aduenit ei leprosus dicens. Domine si uelis, potes me mundare. Multa est prudentia et fides eius qui aduenit. Non enim incidit doctrinam neque interruptit theatrum, sed expectauit decens tempus, et descendenti aduenit, et non simpliciter sed cum multa calliditate. Et ante genua eius deprecabatur, ut alius ait euangelista, et cum sincera fide, et decenti de ipso gloria. Neque enim dixit, si rogaueris deum, neque si oraueris, sed si uolueris, potes me mundare, neque dixit, domine munda, sed ei totum concedit, et dominum facit directionis, et potestatem uniuersam ei testatur. Quid igitur ait, si falsa opinio leprosi erat? dissoluere eam oportebat, et increpare et emendare. Num igitur hoc fecit? nequaquam sed contrarium totum et constituit, et certificat quod dictum est. Propterea neque dixit purgare, sed uolo purgare. Vt non ultra suspicionis illius, sed consilii eius dogma efficiatur. Sed non apostoli ita. Sed qualiter? quia plebs

Commented [ND2]: uel ob add. super lin.

Commented [ND3]: [fol.94vb]

Commented [ND4]: uel a dicendo add. super lin.

Commented [ND5]: uel legislationem faciens add. super lin.

Commented [ND6]: uel iudicem add. super lin.

Commented [ND7]: uel mentem add. super lin.

Commented [ND8]: pretio add. super lin.

Commented [ND9]: uel occasionem add. super lin.

Commented [ND10]: [fol.95ra]

Commented [ND11]: leprosi add. super lin.

Commented [ND12]: mente add. super lin.

Commented [ND13]: christi add. super lin.

stupescibat uniuersa, dixerunt. Quid attenditis nobis, ut propria uirtute facientibus ambulare eum? Dominator autem quamuis multa **moderata** locutus multotiens, et minora gloria eius ut suadeat dogma, hic certificat ammirantium eum **consilium** in potestate hac. Quid enim ait, uolo mundare? quamuis tanta et tam magna faciens signa, nusquam uidetur hoc dicens uerbum. Hic nimirum ut firmet suspicionem, et plebis totius, et leprosi, eam quae est de hac potestate, propter hoc apposuit uolo, et non dixit quidem hoc, non fecit autem, sed confestim et opus secutum est. Si autem non benedixit, sed blasphemia erat quod dictum est, debebat abscidi opus, nunc autem et cessit natura **iussa**, et cum decenti uelocitate, et maiori quam euangelista dixit. Etenim confestim hoc multum tardius est, uelocitate quae secundum opus facta est. Non simpliciter autem dixit, uolo, mundare, sed et manum extendens. Quod utique maxime dignum est querere. Cur enim uoluntate purgans eum et sermone, manus apposuit tactum? michi uidetur propter nichil aliud, sed ut ostendat et hinc, quoniam non subiacet legi, sed **preiacet**, et quoniam mundo iam, nichil immundum. Propter hoc utique eliseus quidem, neque uidet naaman, sed et scandalizatum uidens, quia non exiuit, et tetigit, obseruans legis diligentiam domi manet. Et mittit ad iordanem eum lauandum, dominator autem monstrat quoniam non ut seruus sed ut dominus curat et tangit. Non enim manus a lepra facta est immunda, sed corpus leprosum a manu sancta constitutum est mundum. Non enim solum corpora aduenit curaturus, sed et animam in philosophiam inducturus. Sicut igitur manibus non lotis manducare, non amplius iam prohibebat, optimam illam inducens legem de indifferentia cibariorum ita utique et hic iam erudiens, quoniam animae curam habere oportet, et ab exterioribus erutos purgationibus illam polire, et eius lepram formidare solam, quod est peccatum, leprosum enim esse nullum impedimentum est ad uirtutem, primus ipse tangit leprosum, et nullus incusat. Non enim erat corruptum illud iudicium, neque ab inuidia detenti erant auditores. Propterea non fulmina inuocabant, sed et stupebant miraculum, et concesserunt, et ab his quae dicta sunt et ab his quae fiebant, inexpugnabilem eius uirtutem adorantes. Curans igitur eius corpus, iubet nulli dicere, sed monstrare seipsum sacerdoti, et offerre donum quod iussit moises, in testimonium eis. Quidam igitur aiunt, quoniam propter hoc iussit nulli dicere, ut non malignentur, circa diiudicationem purgationis, ualde insipienter hoc suspicantes. Non enim ita **purgauit**, ut et dubitabilis esset mundatio. **Sed nulli dicere iubet**, docens non diligere ostentationem et honorem, quamuis sciuerit quoniam non **credet** ille, sed diulgabit benefactorem, sed tamen quod eius est facit. Qualiter igitur alio iubet dicere ait? Non sibi ipsi superueniens neque aduersans, sed erudiens nos bonae mentis esse. Neque enim illic diulgare seipsum iussit, sed dare gloriam deo. Per leprosum quidem hunc, non tumidos, et non uane gloriosos nos instruens. Per illum autem non ingratos et bonae mentis esse, et erudiens ubique eorum quae fiebant, laudationem referre dominatori. Quia enim multotiens homines egrotantes meminerunt dei, ab infirmitate autem liberati desidiores efficiuntur, iubens continue et egrotantes et sanatos intendere dominatori, ait da gloriam deo. Cur autem et ostendere seipsum iussit sacerdoti, et donum offerre? Rursus legem hic implens. Neque enim ubique eam dissoluebat, neque ubique custodiebat, sed quandoque quidem hoc faciebat, quandoque autem illud. In hoc quidem futurae philosophiae uiam antea faciens, in illo autem inuerecundam iudeorum interim detinens linguam, et condescendens eorum imbecillitati. Et quid miraris si in **proemiis** ipse hoc fecit, ubi et apostoli postquam iussi sunt ad gentes abire, et ianuas aperire doctrinae quae est secundum orbem terrarum, et legem precludere, et renouare negotia, et uniuersa uetera requiescere facere, apparent quandoque quidem obseruantes legem, quandoque autem eam transcurrentes. Et quid hoc ait ad legis confert custodiam? Non **quodlibet**. Etenim lex erat uetus, leprosum mundatum non sibi ipsi probationem concedere mundationis, sed apparere sacerdoti, et in oculis illius tribuere apodixen, id est demonstrationem, et a sententia hac, iudicari

Commented [ND14]: parua de se *add. super lin.*

Commented [ND15]: mentem *add. super lin.*

Commented [ND16]: [fol.95rb]

Commented [ND17]: uel superiacet *add. super lin.*

Commented [ND18]: uel mundauit *add. super lin.*

Commented [ND19]: [fol.95va]

Commented [ND20]: concedet *add. super lin.*

Commented [ND21]: initus *add. super lin.*

Commented [ND22]: uel parum *add. super lin.*

inter mundos. Si enim non dixisset sacerdos quoniam mundatus est leprosus, adhuc cum immundis maneret extra castra. Ideo ait, monstra teipsum sacerdoti, et offer donum quod iussit moyses. Non dixit quod iubeo ego, sed interim transmittit legi, undique eorum obstruens ora. Vt enim ne dicant quoniam sacerdotum gloriam rapuit, opus quidem ipse compleuit, probationem autem illis concessit, et iudices eos constituit propriorum miraculorum. In tantum enim absisto impugnare ait, uel moysen, uel sacerdotes, quoniam et eos qui a me beneficia assumpserunt, ad credendum eis induco. Quid autem est in testimonium eis, in redargutionem, in demonstrationem, in accusationem, si ingrati fuerint. Quia enim dicebant, ut erroneum, et deceptorem persequimur, ut deo contrarium et iniquum, tu michi testaberis ait, secundum illud tempus, quoniam non iniquus ego sum. Etenim curans te, transmitto legi, et sacerdotum probationi. Quod honorantis erat legem, et ammirantis moysen, et non aduersantis ueteribus dogmatibus. Si autem nichil erant lucraturi, et hinc maxime eius honorem qui est ad legem, est addiscere. Quoniam et prouidens nichil fructificaturos, quae eius erant omnia complebat. Etenim prouidit hoc ipsum, et predixit. Neque enim dixit in directionem eorum, neque in doctrinam, sed in testimonium eis, hoc est in accusationem, et in redargutionem, et in testationem. Quoniam quae a me sunt, omnia facta sunt, et prouidens in emendatos manentes, neque ita dimisi quae facere oportebat. Illi autem propriam manserunt conseruantes malitiam. Hoc itaque et alio ait, predicabitur enim ait euangelium hoc, in toto mundo, in testimonium omnibus gentibus, et tunc ueniet finis. Gentibus quae non obediunt, neque persuadentur. Vt enim ne aliquis dicat, et cur omnibus predicas, si non omnes sunt credituri? ut quae mei ipsius sunt, omnia appaream fecisse, et nullus habeat postea incusare, quasi non audisset. Testabitur enim aduersus eos ipsa predicatio, et non utique habebunt postea dicere, quoniam non audiuimus. Ad fines enim orbis terrarum sermo exiuit pietatis. Haec igitur intelligentes et nos uniuersa quae nostra sunt compleamus ad proximos, et deo semper gratias agamus. Etenim inconueniens est opere beneficio eius, secundum unamquamque diem fruentes, neque sermonem ei gratiam confiteri. Et maxime cum confessio, rursus nobis utilitatem ferat. Neque enim ipse indiget nostrorum aliquo, sed nos indigemus illius uniuersis. Etenim gratiarum actio illi quidem nichil adicit. Nos autem familiares ei constituit. Si enim hominum beneficia in memoriam accipientes, calefimus magis dilectione, multo magis dominatoris memorantes continue directiones quae ad nos sunt, studiosiores ad mandata illius erimus. Propter hoc et paulus dixit, gratias agentes sitis. Custodia enim beneficii optima est beneficii memoria, et continua gratiarum actio. Propter hoc utique et terribilia mysteria, et multa plena salute, quae secundum unamquamque coadunationem perficiuntur eucharistia, id est gratiarum actio uocantur, quoniam multorum sunt beneficiorum rememoratio, et capitulum dei prouidentiae ostendunt, et per omnia instruunt gratias agere. Si enim natum esse ex uirgine, miraculum est magnum, et stupens euangelista dixit, hoc autem totum factum est, et occidi ubi ponemus dic michi? Si enim nasci hoc totum uocatur, crucifigi et sanguinem effundere, et seipsum dare nobis in comestionem et cibum spiritualem, quid utique uocabitur? Gratias agamus igitur ei continue, et uerba et opera nostra, antecedit hoc. Gratias autem agamus, non pro nostris solum, sed et pro alienis bonis. Ita enim et emulationem destruere poterimus, et amorem coartare, et affectuosiores facere. Neque enim poteris emulari iam illos, pro quibus gratias agis dominatori. Ideoque et sacerdos pro orbe terrarum, pro prioribus, pro his qui nunc sunt, pro his qui nati sunt antea, pro his qui postea erunt, nos gratias agere iubet, hostia preiacente illa. Hoc enim nos et a terra eruit, et ad caelum transponit, et angelos ex hominibus facit. Etenim et illi chororum statuantes, pro bonis quae ad nos sunt, gratias agunt deo dicentes. Gloria in excelsis deo, et in terra pax, in hominibus bona uoluntas. Et quid ad uos qui non in terra neque homines estis? maxime quidem igitur ad nos. Ita enim eruditi sumus conseruos diligere, ut

Commented [ND23]: [fol.95vb]

Commented [ND24]: suorum add. super lin.

Commented [ND25]: deuito add. super lin.

Commented [ND26]: iudei add. super lin.

Commented [ND27]: leprose add. super lin.

Commented [ND28]: credituri add. super lin.

Commented [ND29]: emendationem add. super lin.

Commented [ND30]: uidear add. super lin.

Commented [ND31]: [fol.96ra]

Commented [ND32]: Morale xxv. quoniam oportet semper gratias agere deo, et quod nisi aliquis destiterit a uite hoc sollicitudinibus, non poterit cognoscere seipsum. *notum in marg.*

Commented [ND33]: uel re add. super lin.

Commented [ND34]: accendimus add. super lin.

Commented [ND35]: uel missam add. super lin.

Commented [ND36]: inuidiam add. super lin.

Commented [ND37]: uel inuidere add. super lin.

Commented [ND38]: [fol.96rb]

Commented [ND39]: uel proposita add. super lin.

et quae illorum sunt bona, nostra esse putemus. Ideoque paulus ubique in epistolis, pro orbis terrarum directionibus, gratias agit. Et nos igitur pro nostris, et pro alienis, et pro magnis, et pro paruis continue gratias agamus. Et si enim paruus fuerit quod datum est, magnum fit in eo quod a deo datur. Magis autem, neque paruus, in eo solum quia ab illo tribuitur, sed et in ipsa natura. Et ut alia omnia derelinquam, quae arenam uincunt multitudine, quid simile est dispensationi, quae pro nobis facta est? Quod enim erat ei honorabilius uniuersis, id est unigenitus puer, hunc dedit pro nobis inimicis. Et non dedit solum, sed et postquam dedit, mensam nobis eum apposuit. Omnia ipse quae pro nobis sunt faciens, et dare, et non ingratos pro his facere. Quia enim multotiens ingratus est homo, ubique ipse recipit et construit quae pro nobis sunt. Et quod in iudeis fecit, a locis et temporibus et sollempnitatibus, rememorans eos beneficiorum, hoc et hic operatus est, amodo hostiae, in continuam memoriam beneficii quod pro his est nos immittens. Ita nullus studuit probatos effici nos et magnos, et per omnia non ingratos, ut qui fecit nos deus. Propter hoc et nolentibus nobis benefacit multotiens, et ignorantibus ampliora. Si autem miraris quod dictum est, non in contingenti aliquo, sed in beato paulo monstro tibi hoc contingens. Etenim beatus ille multis perclitans et tribulatus, multotiens deprecatur deum auferri ab ipso temptationes. Sed tamen non petitioni eius, sed utilitati intendebat deus. Et hoc monstrans dixit, sufficit tibi gratia mea. Virtus enim mea in infirmitate perficitur. Vt et antequam dicat ei causam, nolenti benefaciat, et nescienti. Quid igitur magnum petit pro tanta procuracione? non ingratos iubet esse. Credamus igitur et ubique hoc obseruemus. Etenim iudeos nichil ita perire fecit, ut ingratos esse. Et multas et coalternas nichil aliud quam hoc induxit. Magis autem et ante plagas, animas eorum hoc perire fecit et corruptit. Ingrati enim spes est, ut pruina hiemalis ait. Ita torpere et mortificari animam facit, sicut illa corpora. Hoc autem sit ex elatione, et ab extimando seipsum dignum esse aliquo. Contritus autem non pro bonis solum, sed et pro his quae contraria estimantur esse, gratiarum actiones mittit deo. Et quaecunque patietur, nichil estimabit indignum se passum esse. Et nos igitur quantumcunque ad uirtutem addiderimus, tantomagis nosmetipsos conteramus. Quia et hoc maxime est uirtus. Sicut enim quantumcunque acutius uiderimus, tantomagis discimus, quantum distamus a celo, ita quantumcunque superaddiderimus ad uirtutem, tantomagis erudimur scire dei medium quod est ad nos. Non parua autem hec pars est philosophiae, posse conspiciere dignitatem nostram. Hic enim maxime est seipsum noscens, qui nichil seipsum esse estimat. Propter hoc utique et dauid et abraham, quando ad summum ascenderunt uirtutis uerticem, tunc maxime hoc direxerunt. Et hic quidem terram et cinerem. Ille autem uermen seipsum uocat. Sed et omnes sancti similiter his, seipsos miseros uocant. Quia qui ad elationem extollitur? ille est qui maxime omnium seipsum ignorat. Ideoque secundum communem consuetudinem, consuetudo nobis est dicere de superbis, non nouit seipsum, ignorat seipsum, quem cognoscet, quemadmodum enim qui seipsum nouit, uniuersa noscet, ita qui hoc non nouit, neque alia noscet. Talis erat ille qui dicebat, supra caelos ponam thronum meum. Quia enim ignorauit seipsum, et alia omnia ignorauit. Sed non paulus ita, sed abortiuum seipsum, et sanctorum ultimum uocabat, et neque cognominatione dignum seipsum esse estimabat apostolorum, post tantas et tam magnas directiones. Hunc igitur zelemur et imitemur. Imitabimur autem si a terra, et ab his quae in terra sunt negotiis eruamur. Nichil enim ita seipsum ignorare facit, ut uitae huius negotiis affigi, et nichil ita uitae huius negotiis affigi preparat, ut ignorare seipsum, ab inuicem enim haec dependent. Sicut enim qui gloriam exteriorem cupit, et magna quae presentia sunt putat, et si decem milies conabitur non concedetur seipsum considerare, ita qui haec despiciat, facile seipsum cognoscit. Seipsum autem discens, uia et ad alias omnes procedet partes uirtutis. Vt igitur bonam hanc addiscamus doctrinam, eruti ab omnibus corruptibilibus quae multam in nobis faciunt flammam, et discentes nostram uilitatem, omnem

Commented [ND40]: incarnationi *add. super lin.*

Commented [ND41]: uel filius *add. super lin.*

Commented [ND42]: id est *add. super lin.*

Commented [ND43]: uel gratias agentes *add. super lin.*

Commented [ND44]: gratias agentes *add. super lin.*

Commented [ND45]: uel quolibet *add. super lin.*

Commented [ND46]: [fol.96va]

Commented [CN47]: plagas *add. super lin.*

Commented [ND48]: ut *add. super lin.*

Commented [ND49]: [fol.96vb]

Commented [ND50]: uel correctiones *add. super lin.*

ostendamus humilitatem et philosophiam, ut et presentibus et futuris potiamur bonis, gratia et
filanthropia, domini nostri ihesu christi, cum quo patri gloria, imperium, honor, nunc et semper,
et in secula seculorum amen.